

Q. 524, 76.

75. III.

DISSERTATIUNCULA

De

CHRISTIANISMO SENE
CÆ, NUM ILLO VERE INITIA-
TUS FUISSE DICATUR?

Qua

PLURIMUM VENERABILEIS

D^{NN.} INSPECTORES,

NEC NON

Vيروس ERUDITA PIETATE CON-
SPICUOS, MUSARUMQUE FAUTO-
RES OMNEIS,

ad auscultandum benevolè

PRÆTER UNAM EBRÆAM, ORATIUNCU-
LAS IV. LATINAS,

SPIRITUM SANCTUM
IN IGNE

EXHIBITURAS,

submissè, perquam officiosè & humanissimè
INVITAT

M. JOH. FRIDERICUS *Göber*
Illustris Ruthenei Rector.

GERÆ, STANNO MÜLLERIANO.



X 1860 166

34



BEnè omnino, tantumne? imò & divinè dixit
Apostolorum ultimus juxta & primus, Tarsensis
Paulus, quando dixit: (a) ἔ πολλοὶ σοφοὶ καὶ σάρκα,
ἔ πολλοὶ δυνατοὶ, ἔ πολλοὶ ὕγενοις· ἀλλὰ τὰ μωρὰ τῆς
κόσμου ἐξελέξατο ὁ Θεός: non multi sapientes, secun-
dum carnem, non multi potentiâ pollentes, non multi
generosi: verum quæ stulta sunt mundi, elegit Deus. Deus enim cum in
sublimi habitet, in altissimo nempe majestatis suæ incomparabilis
throno, humillima quævis, & abjectissima respicit, &, qui inter
homines se altius efferunt, atque inanes flant glorias, sibi que pares in-
vitè alios patiuntur esse, eos spernit à se, nec facile suâ dignatur gra-
tia & amore. De summo qui sunt loco, summoque genere, quantò
minus virtutis habent, tantò magis se attollunt, rati, nisi se effe-
rant ipsos, non superesse suæ nobilitati, nisi unicam imaginem;
quod Ancus Martius aliquando experiebatur. Et qui plurimum ar-
mis, imperio ac vi possunt, quam tument successu rerum suarum?
quam cœlum petunt vanis cogitationibus? quam feroces verbis,
quam vix potentes mentis sunt? Etenim, ut Cicero ait, (b) sine in-
juriâ potentiam levem atque inopem esse arbitrantur. Ecquomodo igi-
tur placeant DEO, qui omnis dignitatis & honoris fons, omnis po-
tentia scaturigo cum sit, ab omni tamen elatione animi alienus planè
& longissimè remotus est? Solent præ aliis sapientiores, qui variâ re-
rum humanarum scientiâ turgent, & cæteris ideò se præferre, tantos-
que sibi spiritus, tantam arrogantiam sumere, ut ferri vix videantur
posse propter insolentiam. Quorum sapientia si dumtaxat in rebus
humanis exercetur, ea que complectitur, quæ ambitu rationis con-
tinentur, quæ verò ultrà ad veri DEI assurgunt notitiam, insuper
habet, & fastu quodam supercilioso contemnit; ecquâ fieri ratione
potest, ut hæc probetur sapientissimo DEO? Quæ cum ita sint, mi-
randum magnopere non est, si Sospitator noster O. M. ministerio
suo adjunxit non magnos atque ex antiquâ Æneadum profapiâ o-
riundos Augustos, non potentissimos Nerones, non doctissimos
Virgilios, nec sapientissimos Senecas, sed infimâ ex plebe viros, qui
nec potentiâ pollebant, nec jactare genus antiquum, aut scientiâ
se extollere præter cæteros poterant. Hos videlicet volebat verbi sui
præcones esse, sui regni administratos, ne quid inde laudis decerpere sibi
& arro-

& arrogare hominum insolentia posset, cujus gloriam sibi ac decus solus reservaverat DEUS. Atque idcirco magnoperè vereor, ne inter Christianos censerì verè queat L. Annæus Seneca, celeberrimus ille de porticu sapiens, pessimi Principis optimus Magister. Id quod cum adseruerint nonnulli, in eorum sententiam inquirere paulò sollicitius nunc sedet. Ex his verò sunt, qui non nisi familiaritatem, & commercium literarum inter Paulum & Senecam admittunt, nullâ Christianismi factâ mentione. Primas hîc obtinet Linus, secundus post Petrum, si hic Romæ in cathedra Papali sedit, Pontifex. Nam in hujus libro, qui de passione Pauli extat, ita legunt: (c) *concursum de domo Cesaris fiebant ad eum, (Paulum) sed & Institutor Imperatoris (Seneca hic nimirum est) adeò fuit illi amicitia copulatus, videns in eo divinam scientiam, ut se à colloquio illius temperare vix posset, quò minus, si ore ad os illum alloqui non valeret, frequentibus datis & acceptis Epistolis, ipsius dulcedine & amabili colloquio atque consilio frueretur.* Hinc Franciscus Torreblanca Villalpandus Cordubensis, Senecam vocat (d) *conciuem suum Apostolicâ familiaritate conspicuum.* Erat quippe Seneca Cordubæ, in Bœticæ, sive, ut hodiè vocatur, Andalusie urbe non incelebri, natus: de quo ingeniosissimus epigrammatum conditor, canit: (e)

*Duosque Senecas, unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.*

Alii Senecam vixisse Apostolorum ævo commemorant, idque ex epistolis quibusdam, quas spurias esse eruditi censent, colligunt, nihil verò de Christianismo addunt. Atque in hanc sententiam proclivem fuisse Augustinum, eximium illum Patrem, & inter summa Ecclesie ornamenta ac lumina principem, ex his ejusdem verbis constat: (f) *Anneum Senecam nonnullis indiciis invenimus Apostolorum nostrorum claruisse temporibus.* Quænam fuerint illa indicia, non addit Antistitum ille Antistes: rectè tamen asserunt, qui commentarios dederunt in libros de Civitate DEI, Joh. Lud. Vives & Leonhardus Coqueus, (g) respexisse Augustinum ad epistolas, quæ feruntur D. Pauli ad Senecam, & Senecæ ad eundem. Quam conjecturam egregiè confirmat ipse Patrum doctissimus epistolâ ad Macedonium Judicem, (h) quando ait: *miris ait Seneca, qui temporibus*

B 2

Apost.

Apostolorum fuit, cuius etiam quedam ad Paulum Apostolum leguntur epistole: omnes odit, qui malos odit: & tamen ideò diligendi sunt mali, non sint mali: quemadmodum non, ut permaneant, sed ut sanentur, à medicis diliguntur aegroti. Sed & idem tamen Hipponensis præful non nihil favoris, quo Christianos forte complexus sit, videtur tribuere, velle Annæo, quando alieno ipsum fuisse animo in Judæos dicit, (i) infectatum præcipuè horum sabbata, quippe quibus fiat, ut per illos singulos septem interpositos dies, septimam ferè partem ætatis suæ perdant vacando: de Christianis verò hæc adjicit: Christianos tamen, jam tunc Judæis inimicissimos, in neutram partem commemorare ausus est, ne vel laudaret contra suæ patriæ veterem consuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forsitan voluntatem. Voluntatem hanc interpretatur Vives eruditissimus (k) de *συνπαθεία* Senecæ, quæ pertinere ad se putaverit infantium Christianorum lanienam, qui tunc à Nerone pœnis exquisitissimis & omnem superantibus humanitatem, divexabantur. Quas ærumnas cum spectare non sustineret bonus Seneca, nec tamen veniam impetrare à Principe posset, valetudinis gratia, quam causabatur, ut in rus secederet; domi atq; in cubiculo multos se menses continuerit. Quò ipso Vives Tacito refragatur, qui ad evitandam invidiam sacrilegiorum Neronis, institutum Senecæ interpretatus est. Verùm nimis singulariè hanc Senecæ voluntatem, quam vocat Augustinus, explicat Vives. Dubium vix esse potest, quin generalius paullò de favore quodam in Christianorum sectam exaudiri debeat voluntas illa Senecæ. Etenim voluntas hæc ejus propria veteri atq; in patria receptæ consuetudini è diametro opponitur: & sicut hæc prohibebat, quò minus laudaret Seneca Christicolas; ita illius instinctu non sanè illaudabili fiebat, (si res ita se haberet) ut eos reprehendere non posset, conscientiam rectius sentiente, præoccupatus. Atq; ex his concludi non difficulter videtur posse, ex mente Augustini, occultam quædam voluntate in Christianos pronum fuisse Senecam, laudatissimum inter omnes veteres scriptorem, & virtutis studio præne Christianum; ut de Stoico loquitur Stoicæ Philosophiæ non indiligens sectator, Justus Lipsius. (l) Atq; in hoc non malè convenire cum Augustino videtur, eademq; inflare tibias Flavius Lucius Dexter, Barcinonensis, qui in Chronico omnimodæ Historiæ ad Paulum Orosium, (m) ita scribit: *L. Annæus Seneca Cerdubensis Hispanus, missis utroque, ad sanctum Paulum literis, de Christiana re bene sentit, factusq;*

factusque Christianus occultus, ejus fuisse discipulum creditur, dulciterque scribit ad Paulum in Hispaniâ morantem. Hæc quænam epistola sit, Franciscus Bivarius Mantua-Capetanus Cisterciensis Monachus, in suis ad Dextrum notis indicat, nempe tertiam in illo ordine, quo epistolas Pauli ac Senecæ mutuas recenset S. Senensis, qui, nescio quo percitus oestro omnes has cum sequentibus, quas affert, pro genuinis habet; (n) illa verò his incipit verbis: *nimio tuo angimur secessu, quid est, vel quæ res &c.* Ut adeò Seneca noster aulicâ, quam hodie vocant, religione correptus isthæc scripserit, ad instar Nicodemi, noctambuli Sospitatoris discipuli, κακοζήλεια quadam, nescio an satis licitè, introductâ. Et quoniam paria propemodum sentire cum Dextro videri potest Rualdus, celeberrimo etiam post fata Hottingero laudatus; (o) ideò facere non possum, quin ὁμοψηφίαν ejus adducam. Ita verò ille: *Seneca expressè Christianam Religionem calumniatus non est, quin multa potius nostræ religioni consentanea scripsit.* Sed de hoc, cum proximâ occasione agere σὺν Θεῷ decretum sit; nunc ad eos deniq; accedamus, qui liberrime sunt professi citra ullam dissimulationem, Senecam verè fuisse Christianum. Inter hos unus, certè primarius est S. Hieronymus, magnum in Ecclesia nomen, Stridonensis quondam Episcopus. Hic enim (liceat ex verbis judicare de animi mente) ita in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum loquitur: (p) *L. Annæus Seneca Cordubensis Sotionis Stoici discipulus, & pater sive Lucani poëta, continentissima vita fuit: quem non ponerem in Catalogo Sanctorum, nisi me illa epistola provocarent, quæ leguntur à plurimis, Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum.* In quibus cum esset Neronis magister, & illius temporis potentissimus, optare se dicit ejus esse loci apud suos, cuius sit Paulus apud Christianos. Hic ante biennium, quam Petrus & Paulus coronarentur Martyrio, à Nerone interfectus est. Dedi totum narrationis contextum, ut de re ipsâ luculentius constet. An verò elicî hinc possit, Hieronymum vel ambiguè hîc loqui & ex pudore, præstantissimis etiam Patrum familiari, quod magnus olim Barthius volebat, (q) vel Senecam inter Ecclesiasticos scriptores connumerare, quod indicare videtur S. Senensis, (r) vel martyrii coronâ eundem insignire, quod sensit M. Zverius Boxhornius; (s) de eo arbitrium judicandi permittimus cordato Lectori. Prius sanè illud non videtur admittendum, quia, quamvis cum certâ conditione loquatur Stridonensis de Ecclesiâ benè, merentissimus, non tamen ambiguitate

tate laborare videtur. Posterius verò hoc, quod Boxhornius arguit, vix calculum mereri potest omnium, cum magna omninò intercedat differentia inter occisionem, quâ sublatus Seneca fuit, & inter martyrium, quod ex *absc* Petro usu venit & Paulo, Apostolorum primiceriis. Quod verò ad intermedium illud est, quò colligit Senensis, inter scriptores Ecclesiasticos collocatum fuisse Senecam; id verò tam non inficias imus, quàm id ipse titulus libri S. Patris perspicuè palam innuit: quamquam id tolerare non difficulter possumus, quia isti catalogo insertos legimus Papiam, (1) credulum nimis hominem & infelicem Chiliasmi parentem, nec non alios manifestâ hæresi infames, ut Tatianum, (u) Origenem, (x) Novatianum (y) & forte hujus furfuris alios, tantumne? imò & Philonem (z) & Josephum (aa) Christianis sacris nequaquam initiatos. Quâ de re non possum tacere, quin *et* *piu* Erasmi verba ex Scholiis addam: quæ ita habent: (bb) *Non nihil demiror, quid Hieronymus hic senserit, cum Philonem ponere non sit veritus Judæum, non Christianum, & item Josephum, & nonnullos hæresiarchas. Cur vocat catalogum Sanctorum? aut cur his non veretur adjungere Senecam, ethnicum quidem, sed quod ad mores attinet, multis Christianis sanctiorem?* Sed quid est, mi optime Desideri, quod tanto perè id miraris? An nescis, (non autem te nescire persuasissimus sum) an nescis, Hieronymum sanctum in hoc pinacidio Scriptorum Ecclesiasticorum, vulgi opiniones sequutum, non ex sua, sed ex aliorum sententiâ, non satis illâ accuratâ, scripsisse, non sine abusu nominis Sanctorum? (cc) Atque hanc excusationem, opinor, pro tuo in S. Patrem amore admittes, ne mortuo leoni videamur voluisse insultare, si eundem humani aliquid passum statuamus. Pium quippe est & Christianæ omninò convenit modestiæ, ad vivum non refecare omnia, nec optimum & de Christi Republicâ benè merentissimum Virum de ponte præcipitatum ire. Illud verò tolerari vix potest, quod nescio quis nugatorum Augustianis monachis Senecam associare non erubuit. Ita enim in novellis, quas vulgò vocant, legebatur aliquando: (dd) *Es sind drey seltsame Neuligkeiten von den heutigen Gelehrten in einer Disputation zu Paris von einem Carmeliter und Augustiner Mönich heraus kommen und disputirt worden / Das nemlich (1) Pythagoras ein Carmeliter gewesen / (2) der Herr Christus habe den Propheten Eliam im irrdischen Paradiß getaufft / und (3) daß Seneca ein Augustiner Mönich gewesen sey.* Sed cum rudium istorum aucto-

auētoritas nobis nequaquam sit Minervæ calculus; ecquis, si hæc
conspexerit, cum Juliano non dicet: ἀνεγνων, ἔγνων, κατέγνων? (cc)
Videlicet, quidquid vel dictum, vel factum in hac re est, ita frigi-
dum est, ut longis, quos Maro vocet, mensibus gignere algorem
queat. Itaque, qui disputanda illa proposuerunt, paullo pruden-
tiores non censentur fuisse, quam qui de salute Aristotelis æter-
nâ, præpostero abrepti affectu, scripserunt librum. (ff) Etenim
ut hic beatitudinis æternæ nequaquam particeps fuit: ita nec Se-
neca cucullo indutus, monachorum cœtui adgregandus est: de e-
jusdem verò fide, quis adeo ignarus fidei Christianæ est, qui non
subdubitet? Auctoritates sanè, quæ tenus hæc productæ fuerunt,
nullatenus evincunt, Senecam nostris initiatum fuisse mysteriis, aut
Christo dedisse nomen. Fac enim, familiarem ipsum fuisse Paulo,
quod Linum putasse dictum fuit; ecquis inde Christianismum in-
dubio argumento probet? Fac, tempore Apostolorum interfuis-
se vivis; ecquis interfuisse cœtui Christianorum Christianum,
probet? Fac, legi illius ad Apostolum epistolas; ecquis ge-
nuinas has esse & Christiana mente scriptas, probet? De Hiero-
nymo autem, lingvarum simul & totius propè antiquitatis ac Phi-
losophiæ peritissimo, &, quod caput rei est, pientissimo Ecclesiæ
Doctore, lis composita esse jam videtur, ut vehementiori conflictu
opus non sit. Neq; verò est, quod in subsidium vocetur & ad partes
trahatur Scriptura Sacra, ut, quod Apostolus Philippenses, ad quos
scribit, *Sanctorum nomine, qui sunt ex Cesaris domo, salutat.* (gg) Jam
inquiunt apud G. Hornium, (hb) *quis major in Cesaris Neronis domo,
quam Præceptor Seneca? Tum tanta, pergunt, doctrina Pauli celebritas fuit
& admiratio, ut etiam ex Cesaris familia & aulâ molles illi & plerumq; de-
generes animi eum secuti sint. An igitur Seneca, sapientia laude celebris,
tantum audire virum recusasset?* Et sanè fuisse quosdam ex aulicis Ne-
ronis, quantumcunq; hic in Christianam gentem sæviret, orci fauci-
bus ereptos & Christo vindicatos; non ignota etiam in toto Prætorio
fuisse *Pauli vincula*, cum & hoc quoq; ipse Spiritus S. amanuensis asse-
rat: (ii) id verò ambabus, quod dicitur, manibus largimur. Sed un-
denam, quæso, probari potest, inter aulicos istos conversos & Sene-
cam fuisse? Quamvis hic vel maximus fuerit in Neronis domo, inde
tamen nec conversio ejus ad Christum, nec, quod inter Sanctos illius
domus fuerit, elici & probari integrum erit. Tantum verò abest,
ut sua

217
960
ut sua Senecam sapientia ad auscultandum Paulo impulsura fuisset, ut potius obstruxisse videatur aures pariter & animum. Tota igitur hæc res de Christianismo Senecæ si non planè conficta, incerta tamen omninò est ac dubia. Verùm cum & ex epistolis Pauli & Senecæ ἀποβίαιος idem à quibusdam stabiliri videatur posse; alia, si dederit Deus, occasione de illis seorsim dicturi sumus. Nunc enim, cujus gratiâ hæc nobis scriptio suscepta sit, indicandum. Videlicet per templa hæctenus suggestusque sacros de sanctissimo DEI Spiritu, præclara multa & saluberrima audivimus differi. Itaque ne scholarum pulpita de eo planè conticescant, fas & æquum rati sumus. Atque idcirco cras, DEO clementer indulgente, post sacra pomeridiana cathedram conscendet Adolescens optimus, JOH. CHRISTOPHORUS Trauendorff / NUMBURGENSIS, *Ebræâ Oratiunculâ de Spiritûs Sancti divinitate* dicturus. Cujus vestigia cum laude sequentur quatuor alii, pii itidem ac probi Commilitones, nempe JOH. Gottfried Steinheuser PLAVIENSIS, THEODORUS Klett / CYGNEA-MISNICUS, MARTINUS BERNHARDUS Mülsler / LOBENSTEINIO-VAR. & ISAACUS Spengler / NEUKIRCHA-VARISCUS, qui omnes *Latinis Oratiunculis Spiritum divinißimum sub hieroglyphico ignis veneraturi sunt.* Qui ut cum à PLURIMUM VENERANDIS DNN. INSPECTORIBUS, tum & ERUDITISSIMIS VIRIS ALIIS benevolè audiantur; id verò est, quod enixè etiam atque etiam rogamus. Nempe, ut Poëtæ illud nostrum faciamus,

*excitat AUDITOR studium, laudatque virtus
crescit, & immensum gloria calcar habet.*

P. P. Geræ, d. XII. JUNI, A. O. R. MDC LXXXIII.

NOTULARUM EVOLUTIO.

(a) 1. Cor. 1. 26. 27. (b) pro Q&inert. (c) Vid. Baron. Ann. ad ann. Christi 66. n. XIII. (d) l. 1. de Magia diſinat. c. 28. n. 26. (e) Martial. l. 1. epigr. 62. (f) l. VI. de Civ. Dei c. X. (g) ad l. c. p. m. 606. & 608. (h) est ep. LIV. (i) l. VI. de C. D. c. XI. (k) comm. ad l. c. p. 612. (l) epist. ad Paulum V. Pontif. (m) & q&idem ad annum Christi LXV, Urbis DCCCXV. (n) in Bibl. Sancta. l. 2. f. 115. (o) Hist. Eccles. N. T. sec. seu cap. I sect. III. p. 36. (p) tom. I. operum, ed. Basil. MDXXVI. f. 275. (q) animad. in Claudiani Ecdicij Mamerti l. 1. de statu anima p. 268. (r) l. c. (s) in Hist. Univ. p. m. 122. (t) f. 277. (u) f. 281. (x) f. 287. (y) f. 293. (z) f. 273. immediate ante Senecam. (aa) f. 275. immediate post Senecam. (bb) f. 308. (cc) ita judicat B. D. Ægid. Strauch. disp. de hoc argumento V. Vitteb. habita An. 1668. §. 21. (dd) Parisß von 4. Decembr. 1682. (ee) Casaub. in not. ad Theoph. charact. p. 370. (ff) Vid. & π&δ&v Thomas in Hist. Metaph. §. 55. (gg) Philip. IV, 22. (hh) Hist. Philos. l. 4. c. 6. p. 257. (ii) Phil. l. 13.

107

mi

B

generosi: verum
sublimi habitu
throno, hum
homines se alti
vitè alios patie
tia & amore.
minus virtuti
rant ipsos, n
quod Ancus M
mis, imperio
quam cœlum
quam vix pote
juriâ potentiam
tur placeant D
tentia scaturig
& longissimè r
rum humanar
que sibi spiritu
posse propter i
humanis exerc
tinentur, quæ
habet, & fastu
potest, ut hæc
randum magn
suo adjunxit n
riandos Augu
Virgilios, nec
nec potentia p
se extollere præ
pizconesse, l

& divinè dixit
imus, Tarsensis
σοφοὶ καὶ σώφρα,
ἰδὲ τὰ μωροὶ τῆ
sapientes, secun
lentes, non multi
eus enim cùm in
e incomparabilis
& , qui inter
sibi que pares in
iâ dignatur gra
genere, quantò
ati, nisi se effe
m imaginem;
vi plurimum ar
erum suarum?
i feroces verbis,
onait, (b) sine in
cquomodo igi
fons, omnis po
mi alienus planè
es, qui variâ re
præferre, tantos
ri vix videantur
ntaxat in rebus
tu rationis con
itiam, insuper
quâ fieri ratione
cùm ita sint, mi
D. M. ministerio
um profapia o
on doctissimas
lebe viros, qui
n, aut sapientiâ
volebat verbi sui
lis decerpere sibi
& arro-

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8
Centimetres

Kodak
LICENSED PRODUCT
Black

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

